

ad me venit amicus. Venit de regione longinqua, ubi pascere porcos, et ipsorum siliquas insatiabiliter esurire solebat. Venit fame laborans, confectus inedia, attenuatus jejunio. Venit necesse habens invenire amicum; sed, heu me! pauperem elegit hospitem, et vacuum ingreditur habitaculum. Quid faciam huic amico misero et miserabili? Omnino enim non habeo quod ponam ante illum. Fateor, amicus est, sed ego mendicus. Quid venisti ad me, amice, in necessitate tanta? Ego sum mendicus, et non est in domo mea panis. Festina, inquit, discurrere, suscita amicum tuum illum magnum, quo majorem dilectionem nemo habet, sed neque substantiam ampliorem. Quære, pete, pulsa; quia *omnis qui quærit invenit, et qui petit accipit, et pulsanti aperietur*. Clama, et dic: *Amice, commoda mihi tres panes*.

2. Qui sunt isti panes, fratres? Utinam mereamur accipere eos! Forte enim et ipsos nemo scit, nisi qui accipit. Credo tamen petendos nobis esse

A tres panes, veritatis, Charitatis, fortitudinis. His tribus egere me fateor, veniente ad me amico de via, vehiente autem, ut dixit, cum uxore et mancipio. Deficit quippe ratio mea (ipse est enim vir) præ ignorantia veritatis; languet et voluntas præ inedia affectionis; infirmatur caro præ inopia fortitudinis. Nam et ratio minus intelligit quæ agenda sunt, et voluntas minus diligit intellecta, et ad hæc etiam corpus quod corrumpitur, aggravat animam, ut non quæcunque volumus, illa faciamus. Aruit cor meum, etiam et corpus meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Neque enim paterer hunc defectum, si jugiter exercitata esset ratio in inquisitione veritatis, voluntas in desiderio charitatis, caro in operatione virtutis. Comoda ergo mihi, amice, tres panes, ut intelligam, ut diligam, ut faciam voluntatem tuam. Sic enim vivitur, et in talibus vita spiritus mei, dicente Scriptura. *Quoniam vita in voluntate ejus* (Psal. xxix, 6).

IN ASCENSIONE DOMINI.

SERMO I.

De evangelica lectione. (Marc. xvi, 14-20.)

1. *Recumbentibus undecim discipulis apparuit illis Jesus* (Marc. xvi, 14). Apparuit vere benignitas et humanitas Salvatoris. ¶ Multam enim fiduciam præstat, quod libentius adsit orationi incumbentibus, quando nec recumbentibus quidem dedignatur adesse. Apparuit, inquam, benignitas ejus, qui cognovit figmentum nostrum, nec dedignatur necessitates nostras, sed miseretur, si tamen curam carnis non in desiderio facimus, sed in necessitate. Quod considerans idem Apostolus: *Sive manducamus, inquit, sive bibimus, sive aliquid aliud facimus, omnia in gloriam Domini faciamus* (I Cor. x, 31). Potest tamen quod recumbentibus apparuit, ad id quoque referri, quod alibi calumniantibus Judæis adversus discipulos non jejunantes: *Non possunt, inquit, filii sponsi lugere, quandiu cum eis est sponsus* (Matth. ix, 15). Sequitur: *Et exprobravit incredulitatem illorum et duritiam cordis, quia his qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt*. Audis Christum discipulos increpantem, imo (quod durius sonat) etiam exprobrantem, nec quancumque, sed ea hora, qua eis corporalem præsentiam subtracturus (44), videri poterat magis ab increpatione parcere debuisset. Noli ergo indignari de cætero, si te quoque aliquando Christi vicarius increpaverit. Id enim exhibet, quod ascensus ab eis in cælum, suis Christus legitur exhibuisse discipulis. Sed quid est, fratres, quod dicit: *His qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt*? Aut qui fuere, duorum beati oculi gloriosum resurrectionis Dominicæ meruerunt videre

(44) Idem sentit Gregorius Magnus homilia 29 in Evangelia: tametsi increpatione aliquot diebus ascen-

C miraculum? Neque enim resurgentem illum quam legitur, aut creditur vidisse mortalium. Restat ergo de angelis accipiendum, quibus utique resurrectionis testimonium perhibentibus, apostolorum pusillanimitas hæsitavit.

2. Jam vero ut faciat quod scriptum est: *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me* (Psal. cxviii, 66); visitationis gratiam, exprobrationis censuram, prædicationis quoque doctrina sequatur, et dicat: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit salvus erit*. Sed quid ad hæc dicemus, fratres? Magna nimis videtur secularibus hominibus in hoc verbo data fiducia, vereorque ne dare eam incipient in occasionem carnis, blandientes sibi plus quam oporteat sine operibus de baptismo et credulitate. Verum-
D tatem consideremus quod sequitur: *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur*. Nec minor fortasse videbitur ipsis quoque religiosis ex hoc verbo provenire desperatio, quam ex verbo priore vanæ spei data sæcularibus occasio videretur. Quis enim ea, quæ in præsentis loco scripta sunt, signa videtur habere credulitatis, sine qua nemo poterit salvari, quoniam *qui non crediderit, condemnabitur*; et: *Sine fide impossibile est placere Deo* (Hebr. xi, 6). Quis, inquam, dæmonia ejicit, linguis novis loquitur, serpentes tollit? Quid ergo? Si nemo hæc habet, aut perpauca nostris videntur habere temporibus; aut nemo salvabitur, aut hi soli qui his muneribus gloriantur, quæ non tam merita sunt quam indicia meritorum: adeo ut multi dicentes: *Nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus?* audire habeant in iudicio: *Nescio*

sionem præcessit ex Lucae cap. xxiv. Consule interpretes.

vos; discedite a me, operarii iniquitatis (Matth. vii, 22, 23). Ubi est, quod ait Apostolus, cum de justo iudice loqueretur: *Qui reddet unicuique juxta opera sua* (Rom. ii, 6); si, quod absit! quærenda sunt in iudicio signa potius quam merita?

3. Sunt tamen et ipsa merita signa quædam, certiora utique et salubriora. Nec difficile arbitror nosse, quemadmodum intelligi signa possint præsentia, ut sint indubitata signa credulitatis, ac per hoc et salutis. Primum enim opus fidei per dilectionem operantis, cordis compunctio est, in qua sine dubio ejiciuntur dæmonia, cum eradicantur e corde peccata. Exinde qui in Christum credunt, linguis loquuntur novis, cum jam recedunt vetera de ore eorum, nec de cætero vetusta propterea lingua loquuntur, declinantium in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Ubi vero compunctio cordis et oris confessione priora sunt deleta peccata, ne recidivam patiantur, et jam sint posteriora pejora prioribus, ¶ serpentes tollant necesse est, id est, ut venenatas suggestiones extinguant. Quid tamen agendum, si qua forte radix pullulat, quæ tam velociter nequeat extirpari, sed stimulat animum concupiscentia carnis? Profecto *si mortiferum quid biberint, non eis nocebit*; quoniam juxta Salvatoris exemplum, cum gustaverint, nolent bibere, id est cum senserint, nolent consentire. Sic enim non eis nocebit (quia nulla damnatio est his qui sunt in Christo Jesu) concupiscentiæ sensus absque consensu. Quid tamen? Molesta certe et periculosa est sic corruptæ et infirmæ affectionis lucta; sed *qui crediderint, super ægros manus imponent, et bene habebunt*, id est ægras affectiones bonis operibus operient, et hoc remedio curabuntur.

SERMO II.

Quomodo ascendit super omnes cælos ut adimpleret omnia.

1. Solemnitas ista, fratres charissimi, gloriosa est, et, ut ita dicam, gaudiosa, in qua et singularis Christo gloria, et nobis specialis lætitia exhibetur. Consummatio enim et adimpletio est reliquarum solemnitatatum, et felix clausula totius itinerarii Filii Dei. Qui enim descendit, ipse est et qui ascendit hodierna die super omnes cælos, ut adimpleret omnia (Ephes. iv, 10). Jam enim cum se dominum universorum, quæ sunt in terra et in mari et in inferno, probasset, non restabat, nisi ut aeris et cælorum se esse dominum argumentis similibus, vel certe potioribus comprobaret. Terra enim cognovit Dominum, quia ad vocem virtutis ejus, cum clamasset magna voce: *Lazare, veni foras* (Joan. xi, 43, 44), mortuum reddidit. Cognovit mare, quia solidum se præbuit sub pedibus ejus, ita ut apostoli eum putarent phantasma esse (Matth. xiv, 25, 26). Cognovit infernus, cujus ipse portas æreas et vectes ferreos confregit (Psal. cvi, 16), ubi et ligavit illum insatiabilem homicidam, qui vocatur diabolus et Satanas (Apoc. xii, 9; xx, 2). Profecto

A qui mortuos suscitavit, leprosos mundavit, cæcos illuminavit, claudos firmavit, et omnes exsufflavit infirmitates, dominus omnium fuit, et eadem manu qua fecerat, quæ defecerant reficiebat. Sic et qui in ore piscis cum ipso pisce staterem invenire prædixit (Matth. xvii, 26), patet procul dubio, quia maris et omnium quæ in mari moventur, dominus fuit. Qui vero traduxit æreas potestates, et affixit eas cruci suæ, claret quia super infernales officinas potestatem accepit. Hic est enim qui pertransiit beneficiendo et sanando omnes oppressos a diabolo (Act. x, 38), qui stetit in loco campestri ut doceret turbas; ante præsidem, ut alapas sustineret; toto tempore quo in terris visus est, et cum hominibus conversatus, in laboribus multis stans, et operans salutem in medio terræ.

2. Ad claudendam igitur tunicam tuam inconsuetam, Domine Jesu, ad perficiendam fidei nostræ integritatem, restat, ut videntibus discipulis per medium aeris, sicut aeris dominus ascendas super omnes cælos. Extunc probabitur, quia Dominus universorum tu es, quia omnia in omnibus adimplesti, et jam tibi profecto debetur, ut in nomine tuo omne genu flectatur, cælestium, terrestrium et infernorum; et omnis lingua confiteatur quia tu es in gloria, et in dextera Patris (Philipp. ii, 10, 11). In hac dextera sunt delectationes usque in finem: et ideo monet Apostolus, ut quæramus quæ sursum sunt, ubi Christus est in dextera Dei sedens (Coloss. iii, 1); quia illic profecto thesaurus noster est Jesus Christus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (Coloss. ii, 3, 9).

3. Quid tamen putatis, fratres, quantus dolor et timor irruerit apostolica pectora, cum eum viderunt a se tolli, et attolli in aera, non scalis adjutum, non sublematum funibus; etsi angelico comitatum obsequio, non tamen fultum auxilio, sed gradientem in ¶ 913 multitudine fortitudinis suæ? Impletum est quod eis dixerat: *Quo ego vado, vos non potestis venire* (Joan. xiii, 33). Quocumque enim terrarum iisset, eum indivisibiliter sequerentur; mare, sicut Petrus fecit aliquando (Matth. xiv, 29), cum eo etiam submergendi intrarent; sed hac sequi non poterant, quia corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multe cogitantem (Sap. ix, 15). Dolor ergo nimius erat, quia videbant illum, propter quem omnia reliquerant, a suis sensibus et aspectibus tolli, ut non possent ablati a se sponso, filii sponsi non lugere: timor quia orphani relinquebantur in medio Judæorum, nondum confirmati virtute ex alto. Benedicens ergo eis ferebatur in cælum, forte concussis illius singularis misericordiæ visceribus, cum miseros suos et pauperem suam scholam relinqueret; nisi quod veniebat parare eis locum, et quia expediebat ut præsentiam eis subtraheret corporalem. Quam felix, quam digna ista processio! ad quam ne ipsi quidem adhuc apostoli digni fuerunt admitti, cum

et animarum sanctarum, et celestium virtutum triumphali pompa deductus ad Patrem, sedet a dextris Dei. Nunc vere adimplevit omnia quia natus est inter homines, cum hominibus passus et mortuus ab hominibus et pro hominibus passus et mortuus est, resurrexit, ascendit, sedet ad dexteram Dei. Agnoscō tunicam desuper contextam per totum, quam superna illa mansio claudit: ubi adimpletus est, et adimplevit omnia Dominus Jesus Christus.

4. Verūtamēn quid mihi et solemnitatibus istis? Quis me consolabitur, Domine Jesu, quia te non vidi in cruce suspensum, plagis lividum, pallidum mortis; quia non sum crucifixo compassus, obsecutus mortuo, ut saltem lacrymis meis loca illa vulnerum deliniret? Quomodo me dereliquisti insalutatum cum formosus in stola tua rex gloriæ in alta colorum te recepisti? Prorsus renpisset consolari anima mea, nisi me angeli in voce exultationis prævenissent, qui dixerunt: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidisti eum euntem in cælum* (Act. i, 11). Sic, inquam, veniet. Ergone veniet querere nos in illa tam singulari quam universali processione, cum præcedentibus omnibus angelis et subsequentibus hominibus universis, descendet iudicare vivos et mortuos? Procul dubio veniet: sed quomodo ascendit, non quomodo ante descendit. Humilis enim prius venit animas salvare; sublimis autem veniet cadaver istum resuscitare, et configurare corpori claritatis suæ, ut infirmiori huic vasculo abundantiorē impendere videatur honorem. Tunc enim videbitur cum potestate magna et majestate, qui prius in infirmitate carnis latuerat. Intuebor et ego eum, sed non prope: ita ut hæc secunda glorificatio priori glorificationi propter excellentem gloriam manifeste præluceat.

5. Interim manipulus primitiarum nostrarum Christus oblatas est, ad dexteram Patris assumptus, et assisit nunc vultui Dei pro nobis. Sedet autem, habens in dextera misericordiam, in sinistra iudicium, et misericordiam multam nimis, et iudicium multum nimis: in dextera aquam, in sinistra ignem immobiliter tenens. Et quidem corroboravit misericordiam super timentes se secundum altitudinem cœli a terra (Psal. cii, 8, 11), ut majores cumulos miserationum Domini sentiant, quam sit spatii inter cœlum et terram. Proposium namque Dei super illos manet immobile: et misericordia hæc [alias, Domini] ab æterno et usque in æternum super timentes eum; ab æterno per prædestinationem, in æternum per glorificationem. Similiter et in reprobis ferribilis est super filios hominum, et utrinque statuta sententia æternitatis, et in his qui salvi fiunt, et in his qui pererunt. Quis scilicet si omnium vestrum, quod hic video, nomina scripta sunt in cœlis, et in libro prædestinationis adnotata? Vocationis enim et justificationis vestrae aliqua signa mihi videor intueri in conversatione hujus [alias additur tantæ]

humilitatis. Quanto putas gaudio replerentur omnia ossa mea, si id scire contingeret? Sed nescit homo, utrum sit dignus amore, an odio (Eccl. ix, 1).

6. Propterea, dilectissimi, perseverate in disciplina quam suscepistis, ut per humilitatem ad sublimitatem ascendatis; quia hæc est via, et non est alia præter ipsam. Qui aliter vadit, cadit potius quam ascendit; quia sola est humilitas quæ exultat, sola quæ ducit ad vitam. Christus enim cum per naturam divinitatis non haberet quo cresceret vel ascenderet, quia ultra Deum nihil est; per descensum quomodo cresceret invenit, veniens incarnari, pati, mori, ne moreremur in æternum: propter quod Deus exaltavit illum, quia resurrexit, ascendit, sedet a dextris Dei. Vade, et tu fac similiter. Neque enim ascendere potes, nisi descenderis; quia ut æterna lege fixum est: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur* (Luc. xiv, 11). O perversitas! o abusio filiorum Adam! quia cum ascendere difficillimum sit, descendere autem facillimum; ipsi et leviter ascendunt, et difficiliter descendunt, parati ad honores et celsitudines graduum ecclesiasticorum, ipsis etiam angelicis humeris formidandos. Ad sequendum autem te, Domine Jesu, vix inve-niuntur, qui vel trahi patiuntur, qui velint duci per viam mandatorum tuorum. Alii enim trahuntur, qui possunt dicere: *Trahe me post te*. Alii ducuntur, qui dicunt: *Introduxit me rex in cellaria sua* (Cant. i, 3). Alii rapiuntur, sicut Apostolus raptus est ad tertium cælum. Et primi quidem felices, qui in patientia sua possident animas suas; secundi feliciores, quia ex voluntate sua confitentur ei; tertii felicissimi, qui in profundissima Dei misericordia, quasi quodammodo sepulta jam arbitrii sui potestate, in divitias gloriæ in spiritu ardoris rapiuntur, nescientes sive in corpore, sive extra corpus (II Cor. xii, 2); hoc solum scientes, quod rapti sint. Beatus qui ubique te ducem habet, Domine Jesu, non illum refugam spiritum, qui statim ascendere voluit, et tota divinitatis dextera percussus est. Nos autem populus tuus, et oves pascuæ tuæ, sequamur te, per te, ad te; quia tu es via, veritas et vita (Joan. xiv, 6); via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio, Verba enim æternæ vitæ habes, et nos cognoscimus et credimus quia tu es Christus Filius Dei vivi (Joan. vi, 69, 70), qui es super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO III.

De intellectu et affectu.

1. Hodie cœlorum Dominus cœlorum alta celestis potentia penetravit, et infirma carnis tanquam nebula quedam exeuntiens, induit stolam gloriæ. Elevatus est Sol in ortu suo, incalevit et invaluit; dilatavit et multiplicavit radios super terram, nec est qui se abscondat a calore ejus. Rediit ad regionem sapientiæ Sapientia Dei, ubi omnes bonum et intellectum paratissimi ad audiendam vocem sermonum

ejus. Nos autem in regione ista sumus, ubi plurimum est malitiæ, sapientiæ parum; quia corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem (Sap. ix, 15). Per sensum hic ego arbitror intellectum designari: qui tunc vere deprimitur, cum multa cogitat, cum non colligit se circa illam unam et unicam meditationem, quæ concipitur de civitate illa, cujus participatio ejus in idipsum. Hujusmodi intellectum oportet deprimi, et distrahi per multa, multis et multiplicibus modis. Animam vero hic æstimo dici affectiones, quæ corrupto corpore, diversis passionibus afficiuntur, quæ mitigari nunquam possunt, ne dicam sanari, donec voluntas unum quærat, et tendat ad unum.

2. Duo ergo sunt quæ in nobis purganda sunt, intellectus et affectus: intellectus, ut noverit; affectus, ut velit. Felices, et vere felices illi duo viri, Elias et 915 Enoch, quibus omnes materiæ et occasiones ablatae sunt, quæ eorum intellectum impediant, vel affectum; quia soli Deo viventes nec noverunt nisi Deum, nec cupiunt nisi Deum. Denique et de Enoch legitur (45) quia *raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius* (Sap. iv, 11). Intellectus noster turbatus erat, ne dicam cæcatus; affectus inquinatus erat, et multum inquinatus; sed Christus intellectum illuminat, Spiritus sanctus affectum purgat. Venit enim Filius Dei, et tot et tanta mirabilia in mundo operatus est, ut non immerito intellectum nostrum ab omnibus mundanis rebus evocaverit; ut semper cogitemus, et nunquam cogitare sufficiamus, quia mirabilia fecit. Vere latissimos nobis ad spatiandum intelligentiæ campos dereliquit; et torrens cogitationum istarum profundissimus est, qui juxta prophetam non possit transvadari (Ezech. xlvi, 5). Quis enim sufficiat cogitare, qualiter rerum Dominus prævenit nos, venerit ad nos, subvenerit nobis, et singularis illa majestas voluerit mori ut viveremus, servire ut regnarem, exulare ut repatriarem, et usque ad servilissima opera inclinari, ut constitueret nos super omnia opera sua?

3. Talem se obtulit apostolis apostolorum Dominus, ut jam non invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspicerent, sed ipse facie ad faciem videretur qui omnia fecit. Et quia discipuli carnales erant, et Deus spiritus est, nec bene convenit spiritui et carni; umbra corporis sui temperavit se eis, ut objectu vivificæ carnis viderent Verbum in carne, solem in nube, lumen in testa, cœreum in laterna. *Spiritus enim oris nostri Christus Dominus, cui diximus: In umbra tua vivemus inter gentes* (Thren. iv, 20). *In umbra*, inquit, *tua inter gentes*, non inter angelos, ubi purissimum lumen purissimis oculis intuebimur. Unde et virtus Altissimi obumbravit Virgini, ne nimio splendore præ-

(45) Nempe ex appropriation: nam universim hæc efferuntur Sap. cap. iv, v. 11. At Enoch signanter legitur Ecclesiastici cap. xlv, v. 16: *Enoch pla-*

stricta, divinitatis fulgur etiam illa singularis, aquila tolerare non posset. Ad hoc autem carnem eis propositum, ut omnem cogitatum eorum ab humanis rebus ad carnem suam (qua et mirabilia dicebat, et mirabilia faciebat) adunaret, et sic de carne transferret ad spiritum; quia spiritus est Deus et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare (Joan. iv, 24). Nonne tibi videtur eis intellectum illuminasse, cum aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas, ostendens quia hæc oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis (Luc. xxiv, 45), et ita intrare in gloriam suam?

4. Sed illi sanctissimæ carni ejus assuefacti, verbum de discessu ejus audire non poterant, ut eos relinqueret pro quo omnia reliquissent. Quare, hoc quia intellectus illuminatus erat, sed nondum purgatus affectus. Unde et benignus magister blandos eos ac dulciter compellabat [alias, consolabatur] dicens: *Expedi vobis ut ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum* (Joan. xvi, 6, 7). Quid est quod Christo commorante in terris, Spiritus sanctus ad eos venire non potuit? An carnis illius consortium abhorrebat, quæ de ipso et per ipsum in Virgine et de Virgine matre concepta erat et nata? Absit! sed ut ostenderet nobis per quam ambularem viam, formam apponeret cui imprimeremur. Et ille quidem illis, plorantibus elevatus in cælum, Spiritum sanctum misit, qui affectum eorum, id est voluntatem, mundavit, imo potius alteravit, ut jam magis Dominum velint ascendisse, qui prius detinuisse voluerant. Impletum est quod eis prædixerat: *Vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium* (Joan. xvi, 20). Sic ergo eorum intelligentia per Christum illuminata est, et voluntas emundata per Spiritum; ut sicut bonum noverint, sic et velint: quod solum perfecta religio, vel religiosa perfectio est.

916 5. Recordor nunc Elisæi sancti, cui cum Elias dixisset, ut in discessu vel ascensu suo postularet quod vellet, respondit: *Oro ut fiat spiritus tuus duplex in me*. At ille: *Rem difficilem postulasti. Attamen si videris quando tollar a te, erit quod petiisti* (IV Reg. ii, 9, 10). Nonne tibi videtur Elias ascendentis Domini signare personam; Elisæus vero choram apostolicum in ascensione Christi anxie suspirantem? Sicut enim Elisæus ab Elia nullo pacto avelli poterat, sic nec apostoli a Christi presentia poterant separari. Vix enim tandem eis persuasit, quia sine fide impossibile esset placere Deo. Quis est ergo spiritus iste duplex qui quæritur, nisi illuminatio intellectus, et affectus purgatio? Res difficilis, quia rarus in terris est qui illum habere mereatur. *Attamen*, inquit, *si videris quando tollar a te, erit quod petiisti*. Nihil est quod propter hoc habeant per-

cuit Deo, et translatus est in paradisum. Idem apud Bernardum, infra sermone 3, cap. 4, in 11: *Et non*

dere vel debeant alumni tui, Domine Jesu, quia videntibus illis es elevatus in cœlum, et desiderantibus oculis te secuti sunt gradientem in multitudinem fortitudinis tuæ. Vel certe spiritum duplicem dicere possumus illud, quod Salvator ad discipulos ait: *Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet* (Joan. xiv, 12). Nonne majora Christo, per Christum tamen, fecit Petrus, de quo legitur: *Quia in plateis ponebantur infirmi in lectulis, ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis?* (Act. v, 15.) Nusquam enim Dominus umbra sua invenitur infirmitates sanasse.

6. Non dubito ego intellectum omnium vestrum, qui hic estis, illuminatum esse; sed non affectum æque esse purgatum, manifestis approbabo conjecturis. Omnes quod bonum est nostis, et viam per quam incedere, et quomodo in ea incedere debeatis; sed voluntas non una est. Quidam enim ad omnia viæ et vitæ hujus et exercitia non solum ambulant, sed et currunt, imo potius volant, ut eis et vigiliæ breves, et cibi dulces, et panni suaves, et labores non solum tolerabiles, sed et appetibiles videantur. Alii autem non sic; sed corde arido et affectione recalcitrante, vix pudore (46) trahuntur ad hæc, vix gehennali timore compelluntur. Quosdam nec compellimus quidem, quibus frons mulieris meretricis facta est, et nolunt erubescere. Sunt, inquam, multi inter nos, qui nobiscum de uno pane comedunt, nobiscum dormiunt, nobiscum cantant, nobiscum laborant, miseri et miserabiles, utpote per omnia [alias deest per omnia] participes tribulationis, sed consolationis non ita. Nunquid abbreviata est manus Domini, ut omnibus donare non possit, qui aperit manum suam, et implet omne animal benedictione? Quid ergo in causa est? Illud omnino, quia non vident Christum cum tollitur ab eis; id est, non cogitant quomodo eos orphanos reliquerit, quod peregrini et advenæ sint super terram, quod tandiu fœculenti corporis horrido carcere teneantur, et non sint cum Christo. Hujusmodi autem, si diu ita permanserint sub onere, aut opprimuntur et succumbunt, aut quodammodo in inferno sunt, ut nunquam ad plenum respirent in lucem miserationum Domini, nec in libertatem spiritus, quæ sola facit jugum suave, et onus leve.

7. Inde autem tam perniciose tepiditas emanat, quia affectus, id est voluntas eorum nondum purgata est, nec bonum sic volunt sicut noverunt, a propria concupiscentia abstracti graviter et illecti. Amant enim in carne sua terrenas consolatiunculas, sive in verbo, sive in signo, sive in facto, sive in aliquo alio; et si hæc interrumpunt aliquando, non tamen penitus rumpunt. Inde est quod raro affectiones suas dirigunt in Deum, et eorum compunctio non continua, sed horaria est, et, ut verius dicam, mo-

(46) In quibusdam deest *vix pudore*, ut in Colbertino 3632; in quo post *compelluntur*, legitur *miseri et miserabiles*, sex versibus omissis. At *pudore* reti-

mentanea. Impleri autem visitationibus Domini anima non potest, quæ his distractionibus subjacet: 917 et quanto magis illis evacuabitur, tanto amplius istis implebitur; si multum, multum; si parum, parum. Vel certe si magis probas, nunquam istæ illis misceri poterunt in æternum; quia ubi vasa vacua non invenit oleum, stare necesse est; nec mittunt vinum novum nisi in utres novos, ut ambo conserventur. Neque enim spiritus et caro, ignis et tepiditas, in uno domicilio commorantur, præsertim cum tepiditas ipsi Domino solet vomitum provocare (Apoc. iii, 16).

8. Si enim apostoli adhuc carni Dominicæ inhærentes (quæ sola sancta, quia Sancti sanctorum, erat), Spiritu sancto repleti nequiverint, donec tolleretur ab eis; tu carni tuæ, quæ sordidissima est, et diversarum spurcitiarum phantasiis repleta, astrictus et conglutinatus, illum meracissimum Spiritum te posse putas suscipere, nisi carnis istis consolationibus funditus renuntiare tentaveris? Revera cum incœperis, tristitia implebit cor tuum; sed si perseveraveris, tristitia tua convertetur in gaudium. Tunc enim purgabitur affectus et voluntas renovabitur, vel potius nova creabitur, ut omnia quæ prius difficilia, imo impossibilia videbantur, cum multa percurrantur dulcedine et aviditate. *Emitte*, inquit, *Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ* (Psal. ciii, 30). Sicut per faciem exterior homo cognoscitur, sic per voluntatem demonstratur interior. Emissio ergo Spiritu creatur et renovatur facies terræ, id est terrena voluntas fit cœlestis, parata ad nutum nutu citius obedire. Beati qui tales sunt; qui non solum malum non sentiunt, sed in mira quadam cordis dilatatione commorantur. De illis enim quos supra commemoravimus, terribiliter ait Deus: *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt* (Gen. vi, 3), id est carnales; et quidquid in eis spiritus fuerat, in carnem evanuit.

9. Quia igitur, charissimi, hodierna dies est, in qua sponsus aufertur a nobis, et non sine tumultu aliquo animorum nostrorum, ad hoc tamen ut mittat nobis spiritum veritatis: ploremus et oremus, ut dignos nos inveniat, vel potius efficiat, et repleat domum istam, ubi sumus sedentes, quatenus non vexatio, sed unctio ejus doceat nos de omnibus; sicque et intellectu clarificato et affectu purificato veniat ad nos, et apud nos faciat mansionem. Et sicut serpens Moysi devoravit omnes serpentes magorum (Exod. vii, 12); sic iste cum venerit, absorbebit omnes carnales affectiones et delectationes nostras, et infundet [infundet, alias deest] consolationes, ita ut de labore requiem, de tribulatione lætitiâ, de contumelia gloriam habeamus; sicut illi, quos repleverat, ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habitus sunt pro nomine Jesu contumeliam pati (Act. v, 41). Spiritus enim Jesu, nendum videtur, ut sermone 5, num. 7: « Quos denique vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet. »

spiritus bonus, spiritus sanctus, spiritus rectus, spiritus dulcis, spiritus principalis quidquid in hoc sæculo nequam videtur, difficile et augustum, leve facit et latum: opprobrium gaudium judicat, despectionem exaltationem esse persuadet. *Scrutemur* ergo, juxta prophetam, *vias nostras et studia nostra; levemus corda nostra cum manibus* (Thren. iii, 40). ut in solemnitate sancti Spiritus gaudeamus, et abundantius gaudeamus, qui nos inducat in omnem, sicut promisit Dei Filius, veritatem (Joan. xvi, 13).

SERMO IV.

De duabus malis ascensionibus dæmonis et primi hominis: et sex bonis, Christi et nostris.

1. Si Nativitatis et Resurrectionis Dominicæ digna devotione solemnia celebramus, hodiernum quoque Ascensionis diem non minus devote convenit celebrari. In nullo siquidem a festivitatis illis ista degenerat, 918 sed finis earum et adimpletio est. Merito quidem solemnitatis et lætitiæ dies agitur, quando sol ille supercælestis, sol justitiæ, nostris se præsentavit obtutibus, nube carnis et mortalitatis sacco fulgorem suum et lucem temperans inaccessibilem magna quoque lætitia et exultatio multa nimis, quando conscisso sacco, lætitia circumdatus est, factaque de medio sacci ipsius non quidem substantia, sed vetustate, sed corruptione, sed miseria, sed vilitate, nostræ dedicavit primordia resurrectionis. Verumtamen quid mihi et solemnitatibus istis si conversatio mea usque adhuc detinetur in terris? Quis vero vel desiderare præsumeret ascensum cœli, nisi quia is qui descenderat, prior ascendit? Dico ergo vobis: non multo mihi tolerabilior videretur exilium hujus habitatio quam gehenna, nisi Dominus sabaotth reliquisset nobis semen fiduciæ et expectationis, quando elevatus est in nubibus, et spem fecit credentibus. Denique: *Nisi ego abiero, inquit, Paracletus non veniet ad vos* (Joan. xvi, 7). Quis paracletus? Utique per quem diffunditur charitas, et jam spes non confundit ille Paracletus, per quem in cœlis sit conversatio nostra; virtus ex alto, per quam sursum sint corda nostra (47). *Vado, inquit, parare vobis locum: et si abiero et præparavero vobis locum, iterum veniam et assumam vos ad me ipsum* (Joan. xiv, 2, 3). *Ubi enim fuerit corpus, ibi congregabuntur et aquilæ* (Matth. xxiv, 28). Videsne quemadmodum cæterarum solemnitatum ea, quam hodie celebramus, et consummationem habeat, et fructum declaret, et augeat gratiam?

2. Sicut enim cætera omnia ejus qui nobis natus est et nobis datus, ita ipsa quoque ipsius ascensio propter nos facta est, et facit pro nobis. In nostra siquidem vita, multa, quantum in nobis est, videmur agere casu, multa necessitate; sed Christus, Dei virtus et Dei sapientia, neutri potuit subjacere. Quæ enim Dei virtutem necessitas cogeret? aut quid age-

(47) Quidam ita habent, *et spem fecit credentibus. Æstimo autem quod et illi qui ait, Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea: unde et dicebat, Vita mea inferno*

ret Dei sapientia casu? Omnia proinde quæcunque locutus est, quæcunque operatus est, quæcunque passus est, ne dubites fuisse voluntaria, plena sacramentorum, plena salutis. Hæc scientes, si quid aliquando eorum, quæ de Christo sunt, in nostram scientiam venire contingat, non sic audiendum est tanquam si inventitium quidpiam proferamus; sed tanquam id quod etiam priusquam causa sciretur, constaret nequaquam sine causa fuisse. Sicut enim qui scribit, certis rationibus collocat universa; ita quæ a Deo sunt, ordinata sunt, maximeque ea quæ præsens in carne est operata majestas. Sed væ angustiae cognitionis [alias, cogitationis]; væ paupertati scientiæ nostræ, qui tantum ex parte cognovimus, et parte modica! Vix scintillule quædam nobis elucent de tanta luminis copia, de lucerna posita super candelabrum. Sane quanto minus singuli capimus, tanto fidelius cæteris communicanda sunt quæ singulis revelantur. Et ego, fratres, quæ mihi ad vestram ædificationem de ascensione, imo de ascensionibus suis donare ipse dignatur, nec volo, nec debeo subtrahere vobis: præsertim quod hæc sit spiritualium prærogativa donorum, ut communicata non minuatur. Aliquibus fortassis hæc nota sunt, quibus similiter hæc revelata sunt; sed propter eos qui forte non adverterunt subimioribus intenti aut aliis occupati; seu etiam propter eos qui minus capacis intelligentiæ sunt, mihi incumbit loqui quæ sentio.

3. *Christus qui descendit, ipse est et qui ascendit* (Ephes. iv, 10). Apostoli verba sunt hæc. Ego autem credo eum in hoc ipso quod descenderit, ascendisse. Sic enim oportebat Christum descendere [alias, ascendere], ut nos ascendere doceremur. Cupidi quidem sumus ascensionis: exaltationem concupiscimus omnes. Nobiles enim creaturæ sumus, et magni cujusdam animi, ideoque altitudinem naturali appetimus desiderio. Sed væ nobis, si voluerimus eum sequi, qui ait: *Sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis* (Isa. xiv, 13). Heu miser, in lateribus aquilonis! 919 Frigidus est mons ille, non te sequimur. Potestatis habes concupiscentiam, altitudinem præsumis potentiæ. Quanti tamen usque hodie fœda sequuntur infeliciæque vestigia! Imo vero quam pauci evadunt, quibus non dominandi libido dominetur! Hinc est quod benefici vocantur, qui potestatem habent; hinc, quod laudatur peccator in desideriis animæ suæ. Potentibus siquidem omnes adulantur, invident omnes. Quem sequimini, miseri homines? quem sequimini? Annon videtis Satanam tanquam fulgur cadentem? Non iste est mons, in quem ascendit angelus, et diabolus factus est? Vel illud advertite, quod post casum suum invidia cruciante male sollicitus de supplantando homine, illius tamen montis ascensum nullatenus ausus est suadere

appropinquavit. *Nunc vero spe salvi facti sumus in cuius altitudinem Christi nos ascensio sublimavit.* Vado, etc.